



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Sanderi Angli Doct. Theol. De Origine Ac  
Progressv Schismatis Anglicani Libri Tres ...**

**Sander, Nicholas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1610**

De tribus falsis Prophetis Puritanis qui in Anglia emerferunt. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64680)



trāsmittere, qui sua religionis templa frequen-  
tare nollent.

Hæc est ergo spes nostra qua erigimur; hoc  
solatium quo recreamur, quòd videlicet Spiri-  
tualia prosperè nobis succedere, & fidelium nu-  
merum quotidè augeri, ipsos verò hæreticos à se  
inuicem dissentire, Puritanos protestantes per-  
sequi, Consiliarios Regios, Triremium præfectos,  
ac urbium gubernatores, Capitales similtates  
exercere conspiciamur.

*De tribus falsis Prophetis Puritanis, qui in  
Anglia emerferunt.*

CAPVT VIII.

**E**odem tempore Londini cum innumera-  
bilis Sacerdotum multitudo pro Christ  
nomine pateretur, tres Hæretici Puritani;  
spiritu & moribus differentes emerferunt;  
Dei se Prophetas esse, ab eoque in regni An-  
glicani subsidium esse ablegatos impuden-  
tissimè mentientes. Horum primus Copen-  
gerus appellatus se misericordiæ Prophetam  
iactitabat: Secundus nomine Ardentonus  
Iustitiæ & vindictæ Prophetam se esse dicti-  
tabat: Tertius Harqueolotus Iesum Christū  
se repræsentare inquebat. Hi omnes simul  
curribus in forum recti magna voce populo  
conuocato, qui essent, & quare aduenissent  
exponebant. Loquebantur deinde admodum  
indè de Regina religionis & administratio-  
ne: acriter & asperè eam reprehendentes,  
quod Archiepiscopo Cantuariensi, & e-  
quiti Hottoni, magno regni Cancellario  
nimi-



nimum fideret, quos illi à Deo reprobatos, morte dignos Reginae & Reipublicae proditores palam coram populo yniuerso nominabant, ac sectae suae Puritanae contrarios esse clamitabant. Addebant deinde Regnam castigatam, ac Regno suo priuatam, innoxiamque etiam in corpore suo punitam iri, anima uel illius saltem saluetur. Hoc facto fictitijs ille Christus Reginae imaginem magna cum altitium admiratione ac turbatione contregit: cumque nemo non existimaret, eam rem rebellionis, tumultus, & turbarum semina continere, eum confestim arreptum in primario Londini foro septimo Augusti, Anno 1591. patibulo appenderunt. Reliquos autem duos in stultorum custodia detentos, cum quotidie acriter flagellassent, suis ut uaticinijs contra Regnam promulgatis renunciarent, obstinatos & peruicaces, carcer morientes contempsit. Fictitijs autem ille Christus cum in furcam ageretur, terribiliter blasphemans, Etiamque compellans, ignem ut caelitus dimitteret, omnibus male puta Papam & pestilentiam imprecatus, spiritum Diabolo reddidit.

Ad eò nimirum credi non potest, tamen si quotidiana experientia doceat, quanto odio Puritani & Calvinistae inuicem flagrent. In portu Grauis Endae Puritanus quidam Norton appellatus in Hollandiam abiens illic ut liberum Anglicum contra Reginae Episcopos & profligatam illorum vitam à se compositum praelio committeret, captus, omni que illa pecunia quam pro impressione secum abstulerat

Ierat



lerat, spoliatus fuit. Sunt & alij non pauci Puritanæ sectæ concionatores, qui ex Anglia in Scotiam transfugientes, contra Reginam, illius administrationē, & sectā Calumnisticā librum procuderunt. Quæ cum ita sint, tantæque dissensiones, odia, & inimicitia, inter Sectarios flagrent, ita vt etiam libri atque adeò Prophetæ Reginam impugnent: vnicuique pro suo libitu viuere cōceditur, soli autem Catholici tanta cum barbarie & immanitate, sicut ex historia isthac liquet, incarcerantur, excarnificantur, & cōtrucidantur.

*Mors Christophori Hattonis, Cancellarij  
Regij.*

## CAPVT IX.

Tres illos Puritanos Pseudopphetas Teo quo diximus modo è medio sublato Christophori Hattonis Cancellarij Regij, in quem illi potissimum inuecti erant, eodem anno decimo septimo Octobris die, Mors secuta est. Hic Hatton cum adolescens adhuc insignis formæ & elegantia, suas in Comœdia partes pulcherrimè coram Regina egisset, illa subito pueri amore capta, seruitio suo adlegit, paulatimque maioribus præfectum officijs, tandem in ea, quæ post Reginā maxima erat, dignitate collocavit. Sacris ergo Scrinijs præpositus, ac socijs suis aliquāto moderatior, animo Catholicus, nihil perinde, quam innocentem illorum sanguinem adeò crudeliter profundi dolebat. Verum cū Reginæ voluntati in omnibus morigerari se-